Katarzyna II Carmen (1781)

CARMEN

CUM

AUGUSTISSIMA JMPERATRIX

TOTIUS ROSSIÆ

CATHARINA II

Ægra uteretur valetudine

DICATUM HONORIBUS

CELSISSIMI S. R. J. PRINCIPIS

GREGORII POTEMKIN

CAMPI-DUCIS

EXERCITUUM ROSSIÆ,

SENATORIS, VICE-PRÆSIDIS

COLLEGII BELLICI,

JMPERATORIÆ MAJESTATIS

In Guberniis

Astrachanensi, Neo-Rossiaci, Azoviensi, & Saratoviensi

VICARII,

Omnium Rossiacorum Nec non Variorum Ordinum

EQUITIS

á Collegio Polocensi Societatis JESU

Jnfinitis Ipsi nominibus Obstricto.

VILNÆ

Typis S. R. M. penes Academiam 1781.

Fama nigris alis Arctoo ex æthere lapſa,
Dura canit, peracerba canit, triſtiſſima cornu
Notificante canit, mæroribus omnia complens:
Scilicet Jmperii Dominam, populiqué Parentem
Tentari morbo, & lenta langveſcere tabe.
Vos Æſculapiî, vos turba perita Chironum,
Et vos Hippocratis medica de Gente ſequaces,
Vos ego, vos oro, ſortes huc ferte metallis
Elicitos veſtra per flammas arte liquores:
Huc medicas florum vires, huc ferte potentes
Herbarum ſuccos, & demum quidquid odoro
Pharmacopæa ſinu claudunt, ſpirantqué ſalutem:

Huc portate citi, hic omnes impendite curas;
Ut Dominæ pretiosa salus, & nata gerendis
Regnorum sceptris tuta statione locetur,
Hoc Rossæ gentis votum est, hæc vota Senatûs,
Vota Ducum sunt hæc, armatarumqué cohortum.
Jam quid Relligio Loiolâ nata Parente,
Et Dominæ servata manu sceptroqué potente?
Quas non illa preces Divorum fundit ad aras?
Quæ non sacra litat? quos non ad sidera planctus
Mittit? quêis riguis non perluit imbribus ora,
Ut bona Regnatrix vegetam Pyliamqué senectam
Ad commune bonum florentibus impleat annis?
O Augusta Parens, Protectrix magna Clientum!
Qui de TE ægrota nostras incurrit in aures,
Non erat is rumor, verùm exitiabile fulmen:
Nam velut irato dum depluus ignis Olympo
Afflârit quenquam, stupet ille á sensibus orbus
Marmoreæ ritu statuæ, nec vivere sese
Censet, quantumvis vitales hauriat auras:

Sic ubi perſonuit funeſto murmure Fama:
Auguſtam Dominam morbo dominante gravari,
Hæſimus attoniti, ſubitus ſtupor ora ligavit,
Diriguit ſangvis, gelidus per membra cucurrit
Sudor, & inſvetus poſſedit pectora mæror.
Necqué hic eſt luctus concluſus climate noſtro,
Verùm cum rumore dolor penetravit ad oras,
Quas habitant noſtri ſacra de ſtirpe ſodales.
O Hera! certa Tuæ ſedeat ſententia menti:
Quòd non ſola cohors numero conſtricta minore,
Quæ veteri pro more Tua ditione tenetur,
Antiquasqué colit ſedes, & veſte, bonisque
Poſſeſſis gaudet, modò luctu marcet amaro;
Sed quicunqué Ducis Loiolæ caſtra ſecuti,
Nunc autem mutare togas, excedere tectis,
Aut Patriâ extorres, alienas quærere terras
Juſſi, ſive bibunt Rheni Rhodanivé fluenta,
Seu prope Moldavam, aut Tiberini fluminis undas,
Aut Oderam iuxta, vaſti ripasvé Danubî

Defixêre ſuam ſedem : Lechicaſvé per urbes,
Lithvanaſvé domos, Muſarum munia tractant:
Ad quos Te rumor feralis pertulit ægram,
Nuntius hic omnes planctu divexat acerbo,
Et movet, ut doleant Auguſtâ Matre dolente.
Et, ſic quos Socios Loiolæ regula fecit,
Hos eadem pariter Socios facit eſse doloris.
Nec dolor hic ſterilis, ſed votis aſtra fatigat,
Templa replet precibus, Divino altaria farre,
Divorum in cultum plenas exhaurit acerras,
Et ſtipe collata dextras locupletat egenas,
Floreat ut Princeps vegetos longæva per annos,
Atqué beet Regnum, vivat regnoqué beata!